

Johann Sleker Matthias Lizov

Problematum Illustrium Philosophicorum Heptas

Rostochii: Ferberus, 1618

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729231488>

Druck Freier  Zugang



F. Secker.
R. U. phil. 1618.

37.
ΣΥΝΘΕΣΙΣ
PROBLEMATUM
ILLUSTRIORUM PHI-
LOSOPHICORUM
HEPTAS,

Quam

In florentissima Rosarum Academia

PRÆSIDE

Clarissimo Excellentissimoq; Viro

DN. M. JOANNE SLEKERO,

Physic. Profefs. Publ. Ordinar. Præceptore &
Promotore observanter colendo.

Publico Philosophantium Examine subicit

MATTHIAS LIZOVIVS Rupino-Marchicus.

*Ad diem 5. Decemb. horis à 7. matutinis
in Aroaterio majori.*



ROSTOCHII,

Typis Augustini Ferberi, Anno 1618.

MITTEL

1715

1715

1715

1715





D. O. M. A.

Problematum Illustrum Philosophicorum

H E P T A S

ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.



Πλῆξ ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας, ὁ δ' ἄδικος λόγος νε-
σῶν ἐν ἑαυτῷ φαρμάκων δεῖται σοφῶν. i. e. Simplex est
veritatis sermo, injusta autem oratio, cum ægra sit,
indiget pharmacis sapientibus; pulchrum est *Euri-*
pidis effatum: a quo non abludit illud *Tertulliani*

l. 2. contra Marcion. Mendacio multa sunt necessaria. Quod ve-
rissimum esse, cum omnibus vitæ humanæ rationibus subductis
constet, tum ne in templis quidem ac scholis exempla defuerunt
unquam, & hodie sunt in illustri apud hæreticos omnes loco
posita. Illorum quippe λόγος verè ἀδικος, & quia talis, multis
opus habet pharmacis & medicamentis sapientibus, multa hinc
inde emendicata & corrassa requirit πειζώματα & glaucomata,
quibus palliatur, incrustetur, & sublevetur. Hinc adeo varijs ex
Philosophia etiam peritis Principijs, & ratiunculis Metaphysicis,
Physicis, Ethicis, Logicis &c. salvare & stabilire eundem sata-
gunt. Istorum autem σοφῶν vel potius ἀσόφων φαρμάκων, & prin-
cipiorum Philosophicorum (verius Sophisticorum) nonnulla
mens est rectæ rationis lance ponderare, & ad Lydium veritatis
lapidem παχολῶς & breviter jam examinare: Idq; non tantum in
Veritatis, quam cuiusvis est asserere & propugnare, Patrocinium,
verum etiam ipsius Philosophiæ gratiam, & à pravo atq; perverso,
in quem à Sophistis rapitur & detorquetur (per se enim erro-
ri non patrocinatur) sensu vindicationem. Quod ut fiat, faxit Is,
cujus gloriæ unicè velificamur. Ille mentem, calamum, & lin-
guam regat, ut omnia pro veritate & nihil contra cogitemus,
scribamus, loquamur.

A 2

problem

Problema I.

An finitum infiniti nullo modo capax sit, nullaq; omnino inter hæc detur proportio?

1. Π Ολυθέριον hoc quo sensu animoq; pluribus negatum hodie quis est qui ignorat?

2. Nos ut αἰσλῶς & simpliciter illud non negamus; ita etiam tanquam absolutè & indefinitè verum non admittimus aut acceptamus, sed præmissâ terminorum distinctione limitamus, & suis circumscribimus finibus, ita, ut dextrè veròq; & genuino suo, quem habet apud Philosoph., sensu acceptum, orthodoxa fidei & veritati nequicquam contradicat.

3. Quod igitur primò attinet Infinitum, vel est id ipsum propriè & αἰσλῶς sic dictum, atq; absolutum; vel impropriè & κατάλα sic vocatum & restrictum: sive intensivum & extensivum; Quantitatis sive molis, & essentiæ, perfectionis, itemq; durationis; idq; vel ab omni, vel ab aliqua saltem parte, & posteriori tantum.

4. Secundo tò capax esse sive continere dupliciter sumi potest & solet. 1. ita, ut dicat notetq; physicam, localem & quantitativam quandam inclusionem, quâ contentum sive receptivum suo continenti inest subjectivè, in hæ sive, localiter, modoq; naturali: &c. 2. interdum realem, quidem, sed non localem ac physicam, verum illocalem & hyperphysicam ac mysticam participationem & communicationem, possessionem ac inhabitationem denotat.

5. Quod si etiam per tò capere perceptio intellectus sive cognitio intelligenda venit, distinguendum est inter cognitionem perfectam, omnibusq; numeris absolutam; et imperfectam, partialem, ac aliqualem. Quemadmodum
etiam

etiam hic distinguendum est inter id quod potest infinitum per se, suâq; naturâ; & quod datur per gratiam & modum quendam mysticum &c.

6. Tertio Proportio alia est strictè sumpta, alia latè sic dicta; alia est essentialis, omnimoda, univoca, adæquata, determinata; alia accidentalis, aliqualis, analogica, imperfecta, indeterminata, &c.

7. Hisce præsuppositis tritum illud axioma ex parte affirmamus, ex parte negamus, & hæc dicitur quæ dicitur procedimus ita. I. Finitum quantum, corporeum, non capit & continet infinitum corporeum, quantitativum, secundum modum extensum, idq; modò naturali, & per intra-receptionem & inclusionem quandam localem &c. sic angusta aliqua fovea non capit immensum & vastum oceanum.

8. II. Infinitum (ex. gr. homo) non est capax infiniti essentiâ, intensivi, absoluti (Dei O. M.) idq; per localem & Physicam aliquã Intra-receptionem, inclusionem, comprehensionem, & circumscriptionem &c. Quò pertinet illud Athanasij. Nihil locorum capax est Deitatis. Capax a. est ejusdem per inhabitationem illocalem, & supernaturalem ac mysticam quandam unionem.

9. III. Finita natura non est capax infinita hypostaseos & virtutis Physicè, subjectivè, essentialiter, formaliter, per modum inbarentia, per se, suâ naturâ, & quatenus finita. Quò sensu verè dixit, & intelligendus est Cyrill. in cap. 9. Joh. Nunquam creatura qua infinita virtutis sunt, suscipiet: Et Athanas. Creatura non est divina perfectionis simplicissima capax, Et eatenus admitto illud Rami. Finiti potentia non est infinita. Est v. capax ejusdem per quoddam s. unionem & communionem hyperphysicam, & innotulas divinam, singularem, mysticè, ex gratia & quatenus infinitum se dimittit ad ipsam.

10. *IV. Finitum (v.g. creatura) non est capax infiniti (Creatoris) essentialiter & perfectè. Est autem capax Eiusdem effectivè, participativè & adumbratè, sive per κοινωνίαν ὁμοιότητος, & quandam imitationem conformitatis cum Ipso. Unde & creatura esse dicitur vestigium Dei; & nos Dei progenies; atq; ad Deum emulandum ac imitandum instigamur.*

11. *V. Finitum (e.g. intellectus creatus) non capit s. cognoscit infinitum (Deum) perfectè, plenè, totaliter. Item ex se & quatenus illud infinitum. Hoc sensu rectè infinitum dicitur ignotum. 1. Phys. text. 3. 5. & 2. Metaph. text. 11 & 1. Post. Item Infiniti non est scientia. Capit autem & cognoscit quadantenus, aliquà ex parte, ὑπερφυσικῶς & lumine gloria illustratum & adjutum, &c.*

12. *VI. Finitum (angelus, anima rationalis) an sit capax infiniti duratione ex omni parte (infinita aternitatis, carentis principiò & sine) problema esto; Quod autem à parte posteriori, id in confesso; nec dubium, quod nulla creatura de factò sic infinita.*

13. *Porrò inter finitum & infinitum non datur proportio, strictè sic dicta: datur autem, latè sic vocata: non datur quidè essentialis, omnimoda, determinata, univoca &c. datur autem accidentalis, aliqualis, indeterminata & analogica, &c. Et tantum de primo.*

PROBL. II.

An positâ causâ (1.) semper (2.) idem ponatur effectum.?

1. **A**ffirmativâ hujus gaudent nonnulli, & in eâ σοφῶν φάσμανον ac firmamentum malè sana sua Causa, & ψευδολογίας querunt ac ponunt certissimum, sed perperam ac frustrâ.

2. Resp. enim quod datâ & positâ causa. nec (1.) semper nec (2.)

nec (2.) idem, sed interdum vel nullus, vel diversus aut etiam planè contrarius sequatur effectus, cum putà Subjecti inhabilitas & varietas intentatam causæ actionem impedit, & recipiendi effectus est incapax. Nam ut idem ac similis producat effectus, necesse est ut subjectum sit idem, dispositionemq; habeat ad recipiendum quod & quantum Agens agit.

3. Innuunt hoc decantata ista Philosophorum pronunciata. Causa variatis circumstantiis quibus agit, mutatoq; subjecto & dispositione ejus, in quod agit, diversum & non idè producit effectum. Et, quod Scalig. est, exerc. 16. sect. 2. Omne receptivum, non per modum imprimentis, sed per modum receptivitatis suæ recipit. s. Actio non imprimitur secundum conditionem agentis, sed secundum dispositionem patientis. It. Non quilibet affectus receptus in quodlibet corpus illud afficit, sed illud tantum quod aptus natus est afficere. Scal. Exerc. 74. sect. 3. h. e. Cujusvis agentis vis recipitur accommodatè ad naturam ejus quod recipit Arist. 1.2. de anima t. 24. Non quidvis quodvis patitur. Et quæ hujus generis & moneta alia quamplurima passim occurrunt.

4. Sic ex gr. Ignis in lignum & alia agit comburendo eadem; in Salamandram verò non item, hæc enim ipsius actionem non recipit ut illa. Sic anima in omnibus & singulis corporis humani membris quidem est, nec tamen inde omnia & singula intelligunt. Sol unus & idem pro diversitate subjectorum diversus & contrarios producit effectus, & in melle dulcedinem, in absinthio amarorem efficit, capillum dealbat, cutem denigrat, ceram liquefacit, lutum indurat, & radijs suis Aquilarum oculos perficit & collustrat, noctuarum & vespertilionum excæcat. De sturno & coturnice, Elleboro & Hyoscyamo satis trita omnia, non illis nocere, morte afficere hominem, Scal. Exerc. 160. sect. 3.

5. Colligimus igitur hinc & concludimus, quod à negatio-

gatione (1.) Effectus (2.) ejusdem ad negationem statim causa argumentari, vel etiam à causa & agentis perfectione, ad effectus & operis perfectionem colligere λόγος & ἰσὶ ἀλογος, & consequens in consequens.

PROBLEMA III.

An finis & intentio bona actionem statim bonam reddat. ?

1. **A**firmatur vulgò, & celebria sunt illa axiomata. Qualis finis talis actio. Actiones sunt judicandæ, & æstimandæ suis finibus. Causæ impulsivæ & finales faciunt discrimina actionum: Cùm finis bonus media quoq; Bona. Cum finis malus media quoq; mala, & contrà, &c.

2. Arripiunt hoc malò sine homines pessimi, & cum Deum ipsum autorem facere non vereantur multorum scelerum, ad quæ, qui ipsorum est error, vel potius furor, homines instiget & impellat, tamen quia hoc ipsum faciat bono fine, declaranda nempè justitiæ suæ gratiâ, ipsum non peccare, & actionem istam s. impulsivam ad mala in ipso nequaquam malum, uti quidem in Diabolo & alijs, actus est vitiosus, sed potius propter bonum, quem habeat sibi propositum finem, bonum esse nugantur.

3. Alij ad deo obsequiæ suas vanas & profanas hinc accessum faciunt, & cultus electitios bonos pronunciare & proclamare non dubitant, quod bono ab ipsis, ut dicunt, sine & intentione suscipiantur.

4. Nos præsupposito quod axiomata illa. i. loquantur de fine per se. 2. de malo non à deo aut poenæ, sed φύσει & culpæ. 3. de bonitate non Metaphysica sed morali. Resp. I, quod finis malus pervertat, malamq; faciat actionem ex se non malam, & si bonò fine studioq; fiat, bonam. Hinc si quis amico benefacit, & liberalitatem exercet, sed sine illegitimo, mala,

malum est & culpanda ea actio. Unde Augustinus. Si facit homo aliquid, unde peccare non videtur, si propter hoc facit, propter quod facere non debet, peccare convincitur. l. 4. contra Julian. Et in Ps. 31. Noli attendere quid aliquis facit, sed quid spectet dum facit.

5. II. Resp. Quod finis bonus actionem per se & in se malam, absolute & totaliter bonam & honestam nequaquam reddere queat. Actionis enim 1. bonitas non est tota ex solo fine & nuda agentis intentione, sed imprimis necesse est ut ad formam (ipsa dicitur) quippe qua dat esse rei & potior est ad actionis essentiam quam finis. Vide Scal, exerc. 307. sect. 27.

6. 2. Intentio, uti constat, est extrinsecum quid: Jam extrinsecum & extraneum essentialiter quod est, non immutat aut tollit. Zabarell. lib. de natura Cœli cap. 5. fol. 191. Non potest igitur actionem suam naturam & intrinsecè essentialiter vitiosam immutare & bonam reddere bona intentio.

7. Hinc August. lib. de mendacio cap. 7. Quædam actiones ita malæ sunt, ut nunquam possint esse bonæ, etiam si bonam videantur habere causam: interest quidem plurimum quæ causâ, quæ intentione, quò fine quid fiat, sed ea, quæ constat esse peccata, nullo bonæ causæ obtentu, nullòq; bonò fine, nullâ veluti bonâ intentione sunt faciendæ. Et ipse Petrus Martyr, suum his adjicit calculum disertè dicens in Loc. p. 366. Bona intentio non reddit actionem bonam, quando suam naturam est mala. Vide etiam Clement. Timpl. in Ethicis, & Danaum lib. 1. Ethic. Christian. c. 15. fol. 233. & 234.

8. Sic exempli gratia furtum non est, dicitur, meretur bonum, honestum, etiam si fiat sine bono & honesto, ad erogandas pauperibus elemosinas, sed est & manet nihilominus actio mala & vitiosa. Quemadmodum & mentiri, pejerare, &c.

B

nequa

nequaquam boni induunt indolem & naturam, licet in amici
fiant gratiam, salutem, & vel ipsius Dei gloriam: Ut nec Pon-
tificiorum pia fraudes, quas vocant, probanda sunt ideo, quod
bonum pra se ferant finem.

9. Ut igitur actio verè & absolutè bona sit, requi-
ritur, ut ipsius 1. objectum sit bonum. h. e. ut sit de re hone-
sta 2. media sint legitima, per illegitima enim media ad bonū
contendere finem non licet. 3. ut finis sit bonus, idq; non
κατὰ δόξαν καὶ φαινομένως putativè & apparenter; sed καὶ ἀλη-
θειᾷ καὶ ὄντως verè & realiter. Hoc est, quod Thomas dixit
2. qu. 110. Ad hoc, ut aliquid sit bonum, requiritur, ut omnia
rectè concurrant. Bonum est ex integra causa, malum v.
ex singulis defectibus dicente Dionysio c. 4. de divinis
nominibus. Et referrī huc possunt regulae illae: Actiones
bonae non nominibus sed adverbijis judicandae. Item.
Non oportet tantum bona fieri, sed & bene fieri. &c.

10. Ex quibus jam patet quod vulgatum illud (Finis
bonus bonam facit actionem) non sit absolutè & exclu-
sivè intelligendum, quasi solus finis actioni conciliet & impe-
tret bonitatem, & turpem etiam ac in se vitiosam bonam red-
dere queat; adeoq; vanum & inane est νεκροφύετον, quod
instigare & impellere homines ad peccata (actus profectò vi-
tiosus) bona, minimèq; vitiosa in Deo sit actio, quia bonò ab I-
pso fiat sine: manetq; quod, si tale quid à Deo fiat (quod fieri
tamen neq; potest, nec ab homine sano dici ac cogitari debet,)
Deus verè peccet, imò magis peccet, atq; homo, (siquidem opus
est magis impulsoris & motoris, quàm impulsī & moti) quae est
blasphemia ipsis Ethnicis sanioribus etiam damnata.

PROBLEMA IV.

An mundi creationem temporaneam ratio humana si-
bi relicta certò ac indubitato scire, & infallibilitèr demon-
strare valeat?

Ea est

Ea est quorundum hominū perverſitas, ut mentis ſua aciem ad omnia pertingere poſſe ſtatuāt, & qua ſunt *πάντες πάντες λόγον, πάντες καταλήψιν*, captumq; humanum quam longiſſimè excedunt, ratione tamen ſua indagare, cognoſcere & comprehendere præſumant, et ſic, ut ſcitè Scalig. inquit l. i. de plant. & exerc. ult. ſect. 3. immenſos religionis noſtra a-gros rationis ſua decempedâ metiri non dubitent.

2. Exemplo inter alios eſt Keckerm. Philoſopho-Theo-logaſter Calvinianus, qui non tantum imperſcrutabile, & omni rationi humana incognitum de Deo Trinuno myſterium rationis principijs, & argumentis Philoſophicis firmiter aſtruire & demonſtrare intendit, uti videre eſt l. i. System. Theolog. c. 3. verum etiam creationem mundi tempora-riam rationem humanam certò ſcire, & firmiſſimis ac infalli-bilibus argumentis demonſtrare poſſe contendit. l. 7. Phyſio-log. c. 7. Quocum etiam facit Timpler. c. 2. Phyſ. Gen. Probl. 7.

3. Nos quod poſterius attinet (de priori enim jam non agimus) contra ſtatuimus, quod, licet nonnullæ ſint & produ-ci poſſint rationes ſpecioſæ & plauſibiles ad probandam pro-ductionem mundi temporariam; quin etiam à poſteriori, præ-viâ ſcripturæ revelatione, ratio humana lumine gratiæ jam-illustrata ſecundariò eam confirmare queat; Ea tamen ſibi relicta ita hic (qua ſunt verba Cl. Dn. Præſidis in Corollar. de mundo & Creator. Diſp. de Malo annexis) verſe-tur, ut neq; affirmationem temporaneæ Creationis, neq; ejus negationem Apodicticis argumentis aſſequi valeat. vel ut Idem in Exerc. ad Keckerm. Phyſiol. c. 7. loquitur: Ratio humana fidei lumine non prælucente mundi creatio-nem in tempore factam, & qualem fide credimus, nullâ demonſtratione aſſequitur, nec æternitatem mūdi de-monſtrativè refellere poteſt.

4. Quod ipsum fufus probare brevitatis ergo super-
fedemus; ut nec in figne illud Scr. testimonium Hebr. ii. ad
confirmationem noftrae fententiae accerfimus, quod alias fatis e-
videnter eandem dat probatam. Si enim creatio mundi tem-
poranea (ut vult ille locus) eſt fidei objectum & articulus, u-
tiq; non rationis eſt, ſed ſupra rationem. Si eſt tò πικρὸν & cre-
dibile quid, utiq; non eſt ἀνεπίſτητον & ſciſibile quicquam. Si gratia
lumine, & Scripturae oraculis revelatur, utiq; non rationis a-
cumine & natura principijs perveſtigatur & demonſtratur.
Verè enim & orthodoxè Zanch. Quæ fide credimus non
eidunt ſub ſenſum, aut lumine naturalis intellectus
percipiuntur.

5. Breviter: theſin noſtram ſtabilire & confirmat I. ra-
tionis humana ignorantia & imbecillitas, ut quæ in purè
naturalibus etiam cacutit inſtar oculi veſpertilionis, ut loqui-
tur Philoſoph. 1. 2. Metaph. c. 1. & Scalig. Exerc. 1. ſect. 1.
& jam revelata non intelligit, quomodo ergo certò, infallibili-
ter & indubitò non revelata ipſa cognoscat?

6. II. Philoſophorum alioquin acutiſſimorum, hic
dubitantium, diſſentientium, & negantium autoritas:
Hi procul omni dubio, ſi ratio humana per ſe in firmam ac in-
fallibilem temporanea mundi creationis notitiam pervenire,
eamq; citra & extra Scripturam immotis principijs ac argu-
mentis aſtruere poſſet, aſſecuti eam fuiſſent, quæ ingenij ipſo-
rum fuit acrimonia, & ſtudium veritatis hac in re cognoscen-
dæ maximum et indefeſſum, Sed non hoc. E.

7. III. Rationum mundi productionem temporane-
am negantium probabilitas. Qua de re Vid. Dn. D.
Meiſn. part. 1. Philoſoph. ſobr. p. 781. Quanquam au-
tem hac Theolog. non ſunt difficilia ſolutu, ratio tamen fi-
dei radijs non illuminata, & ſepoſita à verbi divini, revelatio-
niſq; luce vix ac ne vix quidem ſolvendo hiſce eſt.

IV. Ar-

8. *IV. Argumentorum creationem mundi in tempore factam affirmantium infirmitas, & confutatio haud impossibilis. Pleraq; enim ipsorum equivocationibus, insequentijs & petitione principij laborant, nonnulla probilia quidem sunt, sed non apodictica & immota veritatis. Quam in rem, Vid. Cl. Dn. praesid. Disp. de Mundo, & Exerc. ad Keckerm. Physiol. cap. 7. ut & Dn. D. Meisnerum part. 1. Philosoph. Sob. pag. 784.*

PROBLEMA V.

An Accidens unum idemq; simul & semel in diversis numero subjectis esse possit?

1. *Accidens non est sine subjecto Arist. in Categ. c. 2. Zab. 2. de prim. mat. c. 17. Nullum accidens est extra subjectum Scal. Exerc. 71. Sect. 1. Exerc. 53. sect. 1. tritissima simul ac verissima Sapientum sunt effata; Ut ita absurdissimi sint. qui destructo subjecto accidentia reliqua manere & existere somniant.*
2. *Specie quoq; unum accidens posse esse in pluribus & diversis numero subjectis extra dubitationis aleam & inconfesso est positum. In eo autem cardo proposita quaestiois & controversia vertitur, an unum idemq; numero accidens simul & semel possit esse in duob; vel plurib; numero diversis subjectis? Negant id ipsum simpliciter & absolute. Kecker. in System. Log. Majori p. 182. Goclen. part. 1. Log. q. 42. p. 172. Timpl. lib. 3. Metaphys. cap. 3. q. 11. idq; in fraudem sententiae orthodoxae de vera & reali (non tamen essentiali sed personali) idiomatum divinatorum communicatione.*
3. *Nos 1. distinguimus, inter accidens a se ipsis simplex ac unum; & natale atq; per aggregationem unum, qualia sunt in Philosophia Ingenium, Prudentia &c. in Theologia Fides, Liberum Arbitrium, Spes, &c. 2. distinguimus inter subjectum a se ipsis s. inhaesiois & non natale s. communicationis; Inter δεξιμόν ωρώτων & δεύτερον, primarium & secundarium;*

ἀμεσον immediatum, & ἐμμεσον mediatum; ut & deniq; inter
objecta συνδεδιασπασία sive unita, & ἀσυνδεδιασπασία separata.

4. Quibus præmissis respondemus I. quod accidens unum ac simplex ἀπλῶς non possit esse simul in pluribus diversisq; subjectis. 1. inhærentiæ. 2. primarijs. 3. immediatis & 4. nonunitis. Hoc est quod Cl. Dn. Præses dicit ali ubi: Nulla qualitas simplex immediatè, & ex æquo in duobus subjectis realiter distinctis hæere potest. Et sic verum illud: Accidentia numerantur & multiplicantur secundum numerum subjectorum. It. Multiplicato subjecto multiplicatur accidens subjecti & c.

5. II. Accidens unum & idem numero potest bene esse simul in duobus συνδεδιασπασίς subjectis, altero inhærentiæ, altero cōmunicationis; ita ut illi insit πρῶτως, huic δευτέρως, illi per naturam, formaliter & subjectivè; huic per κοινωνίαν & communicativè; illi immediatè, huic mediatè, quatenus videlicet hoc istius & ita simul cum ipso, & in ipso proprietatum sive accidentium ipsius per unionem factum est particeps.

6. Exemplis hoc ipsum quàm plurimis ex ipso natura latifundio & circum petitis ratum evadit ac manifestum. Sufficiat nobis è multis hoc unicūm à ferro ignito petatum. Calor unus est & idem est, qui & in igne & in ferro, duobus diversis (per essentiam, sed non existentiam) & disparatis (sed non separatis) subjectis simul & semel est atq; invenitur, ita tamen, ut illi insit tanquàm subjecto inhærentiæ & διέξω πρῶτως, & ἐνπαρητικῶς formaliter, essentialiter, subjectivè, immediatè; huic ut subjecto communicationis et ἀποδοτικῶς, non quidem inhærentivè & μεταβατικῶς, sed μετὰδοτικῶς, συνδεδιασπασίς, & mediatè, mediantem nimirum et interveniente subjecto ipsius proprio.

7. III. Unum accidens per aggregationem h.e. quod distinctis constat actibus, et suis quasi partibus integratur, in plurimis

rimis simul potest esse subjectis, & pro diversitate partium subjecta agnoscit diversa. Sic verbi gratia, Prudentia quia est habitus non simplex, sed quodammodo compositus, est in intellectu ratione cognitionis, in voluntate ratione actionis. Sic liberum arbitrium ratione arbitrii ad intellectum, ratione libertatis ad voluntatem pertinet. Lombard. l. 2. sent. d. 24. Sic Spes non tantum in voluntate ponitur, sed simul etiam in intellectu. Bonaventura. lib. 3. sent. Ita & Fides, quia virtus est mixta constans assensu & fiducia, illius ratione in intellectu, huius vero in voluntate est.

8. Concludimus hinc quod vulgatum istud axioma non sit ἀπλῶς & simpliciter accipiendum, sed limitate & quidem ea, quae diximus, ratione.

PROBL. VI.

An unum idemque numero subjectum contrariorum s. repugnantium attributorum capax sit?

1. Negativam amplectitur Polanus in Log. p. 307. Repugnantia, dicens, adjecta non possunt uni eidemque subjecto tribui. Nec in diversum abeunt Keckerm. Crellius & alij in fide ipsi ὁμοῦ καὶ ἑτεροῦ.

2. Nos Resp. & dicimus. I. quod affirmativa vera sit, & unum idemque subjectum contrariorum attributorum capax esse queat in sensu ut ajunt diviso, id quod nec ipsi negaverint, h. e. quod unum numero permanens subjectum contraria suscipiat attributa disjunctim, diverso tempore, & successively.

3. Ex. gr. τὸ mortale & immortale, corruptibile & incorruptibile uni & eidem corpori humano attribui verè possunt, sed alius atque alius temporis ratione. Sic etiam menti humana & prudentia & imprudentia, scientia & ignorantia competere & assignari queunt, verum disjunctim & successively, non simul & semel.

4. Contraria enim non possunt simul (intellige in gradu excellenti & summo, sive esse, ut vocant, completo & perfecto, non autem remisso gradu, & esse refracto) in uno consistere subjecto: Sunt enim pellentis, quod ajunt, naturae, & expellunt sese mutuo: Vniusque receptio praesupponit alterius separationem & exclusionem.

5. Vbi simul notandum quod intelligendum hoc sit de separabilibus & quae salva subjecti essentia abesse & tolli possunt. Sic frigus (contrarium caloris) nunquam igni competit, quia ipsi non est homogeneum, & calor ab igne salva ignis essentia, separari nequit, adeoque nec ignis unquam frigidus, sed semper & tantum calidus est dicique potest.

6. II. Non omnino etiam negari illud debet in sensu Composito: Et possunt uni eidemque subjecto sine contradictionis implicatione simul & semel repugnantia competere & attribui praedicata, si comparate, relate, & diverso (non ut

(non uno & eodem) id fiat respectu & ratione. Ad veram enim contradictionem efficiendam requiritur non tantum, ut idem de eodem simul affirmetur & negetur, seu ut repugnantia uni & eidem subjecto assignentur predicata, sed necesse omnino est, ut uno eodemque id ipsum etiam fiat modo & respectu; quod si non fit, nulla est contradictio, nulla predicationis falsitas.

7. Sic v. gr. (ut alia raceam,) locale & illocale, (de actu hæc intellige secundo) vivificum & non vivificum esse, de uno & eodem subjecto simul verè enuntiarì possunt alio atque alio respectu, & ob aliam atque aliam quæ ipsi competit conditionem.

8. Abrumpo & concludo, dissentanea ac repugnantia non possunt uni & eidem tribui subjecto secundum idem, ad idem, eodem modo, eodem tempore; alias ac secus si fiat, verè & omnino possunt.

P R C B L. V I I.

An sublato actu statim tollatur potentia?

1. Nos cum Scalig. Exerc. 101. sect. 17. in negativam descendimus, & statuimus actum secundum s. ἐπέχειν, quia, non necessarid sed contingenter se habeat, separari & abesse posse salvo manente actu primo, sive potentia, ut quæ essentialis ac necessaria est, & à subjecto citra ipsius destructionem naturali vi & ratione (divina a. hyperphysicâ & absolutâ omnino potest) tolli & abesse nequit.

2. Exempla huic nostræ assertioni fidem facientia sacra ut mittam, ipse natura circus satis evidentia hujus nobis suppeditat. Quis negaverit, actum secundum ferrum attrahendi salvo actu primo tolli & abesse posse à Magnete, alij; succo tinctus si fuerit. Sic ipsâ loquedi, videndi, audiendi ἐπέχειν auferri posse testantur exempla Mutorum, Cæcorum, Surdorum, manente δυνάμει & potentia prima, quâ, quia homines sunt, ipsi carere non possunt. Ita etiam anima facultas auctrix in adultu non est corrupta, licet non augeatur sed nõ raro etiâ diminuantur. Cessat opera non tollitur facultas Scal. & c.

3. Stat igitur firma thesis nostra quod actus primus non statim inferat actum secundum, & hoc negato aut sublato ille confestim negari haud debeat; adeoque corpus aliquod esse & manere possit visibile, palpabile, locabile, etiamsi non semper actu videatur, palpetur, & locetur; nec necessarium etiam hoc ipsum esse in omni corpore ut sit atque fiat quovis tempore & loco.

Et hæc de his hac vice sufficiant. Tu quinquè hæc legis, ritè intellige, dextrè judica, consule optimi.

8. *IV. Argumentorum creationem factam affirmantium infirmitas, & impossibilis. Pleraq; enim ipsorum equivocantibus & petitione principij laborant, quidem sunt, sed non apodictica & immot in rem; Vid. Cl. Dn. praesid. Disp. de Mun Keckerm. Physiol. cap. 7. ut & Dn. part. 1. Philosoph. Sob. pag. 784.*

PROBLEMA V.


An Accidens unum idemq; simul & numero subjectis esse po

1. *Accidens non est sine subjecto*
 2. *Zab. 2. de prim. mat. c. 17. Nullum subjectum Scal. Exerc. 71. Sect. 1. E tritissima simul ac verissima Sapientum su surdissimi sint, qui destructo subjecto acci nere & existere somniant.*

2. *Specie quoq; unum accidens p & diversis numero subjectis extra dubitat confessio est positum. In eo autem cardo & controversia vertitur, an unum idemq; simul & semel possit esse in duob; vel plurib; subjectis? Negant id ipsum simpliciter & in System. Log. Majori p. 182. Goclen. pa 172. Timpl lib 3. Metaphys. cap. 3. q. 11. idq; itia orthodoxa de vera & reali (non tamen personali) idiomatum divinorum communic.*

3. *Nos 1. distinguimus, inter accide ac unum; & nata; atq; per aggregatione sunt in Philosophia Ingenium, Prudenti Fides, Liberum Arbitrium, Spes, &c. 2. subjectum & ἀρχεως / inhaestione & συνωνιας / Inter δεκτικὸν πρῶτον & δεύτερον, primarium*

B 3



mpore
 idim
 conse
 bilia
 Quam
 c. ad
 rum
 versis
 eg. c.
 extra
 ct. 1.
 ta ab
 a ma
 uribus
 & in
 stionis
 idens
 versis
 ecker.
 42. p.
 nten
 d per
 plex
 ualia
 ologia
 inter
 ionis;
 um,
 μέσση